

De Isocratis oratione, quae inscribitur

περὶ εἰρήνης.

Praefatio.

Dum deliberavi multumque dubitavi, quid potissimum rei sumerem hoc programmate, quod appellant, pertractandum. Nam quum maxime animus me ferret ad promenda et illustranda et expolienda ea, quae in Graecia Italiaque ante aliquot annos peregrinans et memoriae et litteris mandaveram, quae tamen propter nimias occupationes negotiaque scholastica nunc paene intacta jacent; tamen libros aliaque litterarum adjumenta, quae mihi opus esse ad illas res diligenter explicandas censerem, aut omnino non poteram, aut minima ex parte mihi facile comparare.

Itaque maxime tandem placuit, ut agerem de re, quae propius accederet ad studia juventutis, cui docendae atque excolendae me dedidi. Atque in oratoribus graecis quidem, secundum Demosthenem, quem cum Cicerone (cf. Brut. 9. 35. Orat. 2. 6.) oratorem plane perfectum, et cui nihil admodum desit, facile dixeris, quis est, qui gloria praestet Isocrati, magno illi oratori et perfecto magistro, cujus domus, ut ait Cicero, cunctae Graeciae quasi ludus quidam patuit atque officina dicendi, et cujus laudes Pausanias in descriptione Graeciae (cf. I. 18. 8.) ita praedicat: *καίται δὲ* (haud procul ab templo Jovis, quod imperator Hadrianus perfecit) *ἐπὶ κίονος Ἰσοκράτους ἀνθήας, ὅα ἐς μνημὴν τρία ὑπέλειπετο, ἐπιμονώτατον μὲν, ὅτι οἱ βιώσαντι ἔτη δυοῖν δέοντα ἑκατὸν οὐποτε κατελύθη μαθητὰς ἔχειν· σωφρονέστοτον δὲ, ὅτι πολιτείας ἀπεχόμενος διέμεινε καὶ τὰ κοινὰ οὐ πολυπραγμονῶν· ἐλευθερώτατον, ὅτι πρὸς τὴν ἀγγελίαν τῆς ἐν Χαερώνεια μάχης ἀλγύσας ἐτελεύτησεν ἐΞελοντῆς.*

— In legendis autem Isocratis orationibus praeter ceteras jam pridem delectatus eram oratione, quae inscribitur *περὶ εἰρήνης* ejusque nuper iterum ac saepius lectae tanta me cepit admiratio, ut mecum constituerem accuratius de ea exquirere et commentatione explicare.

Movebant enim me non solum tempora, ad quae spectat oratio et viri, qui tunc Atheniensium civitati praeerant, verum etiam Isocratis genus dicendi subtile, ornatum expolitumque et grave plenumque virium, doctum eruditumque et auditorum multitudini aptum, non vehementer increpans nec vulgo blandiens, sed liberum et viro ingenuo prudentique dignum: tum maxime sententiae consiliaque praeclarissima saluberrimaque et dignissima, quae cognoscantur, retineantur, peragantur omni tempore et in publica et privata vita.

Id autem, quod mihi proposui, duabus potissimum partibus absolvendum est visum. Ac primum quidem dicam de temporibus ac rerum statu, de quibus maxime agitur in oratione: deinde explicare conabor, quaenam Isocrates hac oratione, quae inscribitur *περὶ εἰρήνης*, doceat, suadeat, admoneat.

De temporibus ac rerum statu, ad quae spectat oratio.

Magna potentia magnisque opibus et singulos homines et civitates universas facillime ad superbiam, injustitiam, intemperantiam atque his de causis ad summa mala, haud raro vero ad exitium deduci, quis est, qui neget; quis est, quin comprobatum invenerit exemplis quum ex aliorum populorum, tum ex Graecorum memoria petitis.

Etenim Lacedaemonii quum Athenienses bello Peloponnesiaco devicissent et summam apud Graecos auctoritatem assecuti essent, haud ita magno temporis spatio interjecto factum est, ut propter importunitatem, superbiam, intemperantiam, injustitiam, non solum adversus alias civitates, sed etiam adversus suos ipsorum socios in summam venirent invidiam, ita quidem, ut Cnidio proelio a Conone, Atheniensium duce, victi imperium maritimum amitterent et paullo post in graviora mala incidere. (De proelio Cnidio, quod factum est Olymp. 96. 3.; a. Chr. 394, cf. Diod. Sic. XIV., 84.) *καὶ Λακεδαιμόνιοι μὲν ἀπὸ τούτου τοῦ χρόνου τὴν κατὰ θάλατταν ἀρχὴν ἀπέβαλον.* Isocr. ad Philippum or. c. 25. § 63. (Κόνων) *συσιάντος γὰρ αὐτῷ ναυτικοῦ περὶ Ῥόδον καὶ νικῆσας τῆ νναυμαχίᾳ. Λακεδαιμόνιους μὲν ἐξέβαλεν ἐκ τῆς ἀρχῆς, τοὺς δ' Ἕλληνας ἤλευθέρωσεν.*

Nam quum Phoebidas, Lacedaemoniorum dux, in pace Thebanorum arce potitus (Ol. 99. 2.; a. Chr. 283. cf. Xen. Hell. V. 2. 24—37.) et paullo post Sphodrias, qui Thespias, Boeotiae oppidum, Lacedaemonio praesidio tenebat, consilio Piraei per insidias occupandi capto, sed ab Atheniensibus irritato (Ol. 100. 3.; a. Chr. 378.), quamquam domi in iudicium vocati fuerant, justam tamen poenam effugissent (de Phoebidae mulcta cf. Plut. Pel. c. 6.) et omnes Graeci, imprimis vero Athenienses intellexissent, se nullo pacto in posterum tutos fore ab injuria et avaritia atque violentia Lacedaemoniorum; foedus contra Lacedaemonios auctoribus maxime Chabria, Timotheo, Callistrato conciliatum est ab Atheniensibus primum cum Chiis et Thebanis, brevi autem post cum multis aliis civitatibus, unde factum est, ut Athenienses imperium obtinerent maritimum haud dissimile illi imperio, quod centum fere annis ante Aristides ad defendendam Graeciam contra Persas composuerat. (Ol. 100. 3. a. Chr. 378. cf. Plut. Pelop. c. 15. Diod. XV. 28.)

Cujus rei gravissimae memorabile monumentum Athenis repertum et ante hos 17 annos editum primum est ab Eustratiade, viro docto Atheniensi, deinde repetitum ab eodem et, quae post reperta sunt, fragmentis auctum a. 1852 Athenis, tum a M. H. E. Meiero a. 1852 et 1854 Halis; deinde ab Arn. Schaefero 1856 Grimae et Lipsiae editum atque explicatum.

Est autem illud monumentum tabula marmorea; inscriptum in ea est decretum

Atticum, in quo agitur de nova societate adversus Lacedaemonios inter Athenienses et alias civitates ineunda.

Ac primum quidem ex illo decreto memorabili cognoscitur factum hoc foedus esse non Callia archonte, id quod Diod. l. XV. c. 28. scribit, Ol. 100. 4.; a. Chr. 377.; sed Nausinico archonte Ol. 100. 3. a. Chr. 378. Tum legimus, quid potissimum spectaverit illa societas; sic enim v. 9. ss. scriptum est: ὅπως ἂν Λακεδαιμόνιοι ἐπὶ τοὺς Ἕλληνας ἐλευθέρους καὶ αὐτονόμους ἡσυχίαν ἄγειν, τὴν αὐτῶν ἔχου-
 τας ἐν βεβαίῳ . . . ; deinde cernitur, quam aequis condicionibus societas illa fuerit conciliata: cf. v. 15. ss. εἰάν τις βούληται τῶν Ἑλλήνων ἢ τῶν βαρβάρων τῶν ἐν ἡπειρῷ ἐνοικοῦντων ἢ τῶν νησιωτῶν, ὅσοι μὴ βασιλέως εἰσὶν, Ἀθηναίων σύμμαχος εἶναι καὶ τῶν συμμάχων, ἐξεῖναι αὐτῷ ἐλευθέρῳ ὄντι καὶ αὐτονόμῳ, πολιτευσομένῳ πολιτείαν, ἢν ἂν βούληται, μὴτε φρουρὰν εἰσδεχομένῳ, μὴτε ἀρχοντα ὑποδεχομένῳ, μὴτε φόρον φέροντι, ἐπὶ δὲ τοῖς αὐτοῖς, ἐφ' οἷσπερ Χίοι καὶ Θηβαῖοι καὶ οἱ ἄλλοι σύμμαχοι . . .
 tum v. 35. ss. ἀπὸ δὲ Νausινίκου ἀρχόντος μὴ ἐξεῖναι, μὴτε ἰδίᾳ, μὴτε δημοσίᾳ Ἀθη-
 ναίων μηδενὶ ἐγκτήσασθαι ἐν ταῖς τῶν συμμάχων χώραις, μὴτε οἰκίαν, μὴτε χωρίον . . .

Rebus civitatum foedere junctarum praesunt σύνεδροι συμμάχων cf. v. 44. Si quis cuiquam sociorum bellum inferat, huic Athenienses terra marique auxilium ferre decreto jubentur, cf. v. 46—51. Iis, qui sequuntur versibus, constituitur, ne cui liceat quicquam harum condicionum mutare; morte autem mulctandum esse, si quis conetur foedus rumpere. Postremo perspicitur ex illo monumento, quanam civitates ad Atheniensium societatem sese applicaverint et quando. Iam enim ante quam populiscitum in lapide inscriptum et publice est collocatum apud statuum Jovis Eleutherii (cf. v. 63. s. τὸ δὲ ψήφισμα τόδε ὁ γραμματεὺς ὁ τῆς βουλῆς ἀναγραφάτω ἐν στήλῃ λιθίνῃ καὶ καταδέτω παρὰ τὸν Δία τὸν Ἐλευθέριον), quam statuum Pausan. I. 3. 8. Athenis in Ceramico prope Cononis et Timothei et Euagorae statuas haud procul a porticu regia positam fuisse tradit, nonnullae civitates se cum Atheniensibus conjunxerant, quarum nomina — sunt enim Chii et Thebani, Diodoro non plane consentiente, cf. l. XV. 28., quum Chii et Byzantii ab eo in primis sociis numerentur — in ipso populiscito leguntur. Earum autem civitatum, quae Atheniensium societatem inierunt, quo tempore decretum illud publice est constitutum, nomina subscripta sunt, atque adscripta in sinistra lapidis parte sunt earum nomina civitatum, quae postero tempore a Chabria, Iphicrate, praeter ceteros autem a Timotheo, Cononis filio, sunt receptae. Chabriae merita laudibus effert Demosthenes, cf. or. πρὸς Λεπτίνην p. 481; Timotheum autem Isocrates egregie laudat in orat. de permutatione § 107—113, ubi est: εἰ δὲ δεῖ μὴ κατ' ἕκαστον, ἀλλὰ διὰ βραχέων εἰπεῖν τετρατάφων καὶ εἴκοσι πό-
 λεων κυρίους ὑμᾶς ἐποίησεν.

Civitatum autem, quae Atheniensium foederi se applicaverunt, alius scriptor alium numerum dicit. Diodorus quidem XV. 30. septuaginta fuisse tradit, etiam plura Aeschines cf. or. II. 70. p. 37. ἑβδομηκοντα μὲν καὶ πέντε πόλεις συμμα-
 χίδας — ὡς ἐκτίησάτο Τιμόθεος ὁ Κόνωνος καὶ κατέστησεν εἰς τὸ συνέδριον. In la-
 pide, de quo agitur, septem et quinquaginta tantum sociorum nomina inscripta le-
 guntur, sed praeterea comparent vestigia aliorum nominum, quae legi non jam pos-

sunt, cf. Arn. Schaefer. Progr. Grimae 1856. p. 19. Sed satis mihi multa verba de memorabili illo titulo fecisse videor. Nunc videamus ea, quae sequuntur, tempora et commutationes rerum.

Atheniensium igitur opes tantis incrementis captis insequenti tempore maxime auctas, eorumque res tot civitatum societate stabilitas firmatasque esse, haud mirum est, praesertim quum eodem ipso tempore bello Boeotico, ut appellant (cf. Diod. XV. 25. ὁ κληθεὶς Βοιωτικὸς πόλεμος) Lacedaemoniorum opes maxime debilitarentur. Namque post cladem insignem a Thebanis Epaminonda duce ad Leuctra Lacedaemoniis allatam paene omnes Peloponnesi civitates ab horum dominatione alienatae sunt, cf. Isocr. or. πρὸς Φίλιππον c. 19. § 45. s. Nec minores postea calamitates Lacedaemoniis intulerunt Thebani Epaminonda et Pelopida ducibus, incursionibus saepe in Peloponnesum factis, quibus non prius finis est impositus, quam Epaminondas mortuus est, invictus quidem; nam quum ad Mantineam, postquam fortissime pugnavit, mortiferum vulnus accepisset, usque eo hostile, quo percussus erat, retinuit, quoad renuntiatum est Boeotios vicisse. Tum demum ferro extracto, animam emisit. (Ol. 104. 3.; a. Chr. 362. cf. Corn. Nep. Epam. 9. Xen. Hell. VII. 5. 25. Diod. XV. 89.)

Quae quum accidissent, Lacedaemonii, quamvis metu Epaminondae, viri fortissimi, prudentissimi, gloriaeque cupidissimi essent liberati, viribus fractis coacti sunt quietem agere, Thebani autem e gradu, ad quem Epaminondas et Pelopidas patriam evexerant, haud multo post delapsi sunt.

Interea Atheniensium opes, multis navibus comparatis atque armatis, magnis pecuniis in commune aerarium Athenas collatis, in dies sunt auctae. Veruntamen quum jam pridem constantia, prudentia, moderatio, quas rebus secundis minime facile retinere solent homines, ex Atheniensium animis excidissent et paene evanuisent, quumque in earum virtutum locum, quibus majores immortalem gloriam sibi paraverant, successissent inconstantia, intemperantia, avaritia, cum his injustitia atque superbia; non potuit fieri, quin etiam eorum respublica haud multo post in summum discrimen et maximas calamitates adduceretur.

Duabus autem potissimum rebus praeter alias sociorum animi irritati ab Atheniensibus atque exacerbati sunt. Athenienses enim in iis, quae convenerant, non manserunt, sed pecunias ex tot civitatum tributis Athenas collatas, et opes inde paratas in suam potius utilitatem, quam in communem sociorum coeperunt convertere. Praeterea mercennariorum exercitus, quibus Athenienses, voluptatis otiique nimis amantes, quum militiam ipsi nollent perferre, utebantur, ne a sociis quidem vexandis diripiendisque abstinebant; itaque Atheniensibus Graecorum in dies majorem invidiam conflaverunt (cf. Demosth. Phil. I. 46. 26. ed. Schaefer.). Quibus rebus factum est, ut jam complures civitates in societate Atheniensium nollent manere, ut Corcyra insula et Sestus aliaque oppida circa Hellespontum et in Thracia sita, nec impedire Athenienses potuerunt, quominus Chersonesus Thracica reciperetur a Cersoblepte, Cotyis filio, Thracum rege. (Cf. E. Curtius Griech. Gesch. III. p. 362. s. H. Sauppe. Zwei neue Inschr. aus Athen. Göttinger Nachrichten 1867. No. 9. p. 152 und 155.)

Major autem calamitas Atheniensibus imminebat, quum in Euboea insula ab iis, qui Thebanorum partibus favebant, seditiones essent motae contra Athenienses. Sed Timotheus, praeclarus Atheniensium dux, oratione omnium animis incensis, certaminibus excitatis, incredibili celeritate navibus comparatis atque instructis, tam strenue et acriter bellum gessit, ut intra triginta dies Thebanos ex insula depulisse eamque societati Atheniensium servavisse diceretur (cf. Gesch. Griechenlands von Georg Grote, übers. von Meissner u. Höpfner VI. p. 175 u. 176. Curtius III. 464.).

Maxime vero afflictæ sunt Atheniensium res, quum aliquot civitates non solum descivissent ab Atheniensium societate, sed etiam foedere inter se juncto armis libertatem sibi parare statuissent.

Ita exarsit bellum sociale, quod appellant, non tam diuturnum quam perniciosum Atheniensium auctoritati opibusque. Ol. 105. 3.; a. Chr. 358, 7—355. c. Diod. Sic. XVI. 7. οἱ δ' Ἀθηναῖοι... ἐπέπεσον εἰς πόλεμον τὸν ὀνομασθέντα συμμαχικόν, ὃς διέμεινεν ἔτη τρία; exarsit bellum archonte Athenis Agathocle. cf. Dionys. Hal. de Lysia judicium. p. 480. c. 12. οὗτος δὲ ὁ πόλεμος (ὁ συμμαχικός) πίπτει κατὰ Ἀγαθοκλέα καὶ Ἑλληνίκην (Diod. XVI. 15. scribit Ἑλληνίην) ἀρχοντας, et Pausan. X. 2. 2. p. 802., postquam jam paratum est superiore anno Cephisodoto archonte. 358.

In iis civitatibus, quae primæ bellum adversus Athenienses fecerunt, insulae fuerunt Chios, Cos, Rhodos, atque Byzantium oppidum, quibus Mausolus, Cariae rex, se adjunxerat auxiliæque miserat, ita tamen, ut brevi post illas insulas pro suis haberet (cf. Demosthen. de Rhodior. libert. p. 191. 15. Μαύσωλος φίλος εἶναι φάσκων Ῥοδίων τὴν ἐλευθερίαν αὐτῶν ἀφρημένους et Demosth. de pace p. 63. εἴωμεν... τὸν Κῶρα τὰς νήσους καταλαμβάνειν Χίον καὶ Κῶν καὶ Ῥόδον.

Occasio autem armis Athenienses petendi data est resistente Chio insula, quo Chares, Atheniensium dux, Amphipolim profecturus eamque urbem, libertatis cupidam, occupaturus venerat, et a qua sine dubio tributa vel subsidia justo majora poposcerat, quam ob rem Demosthene auctore (de Rhod. lib. p. 191. 11.) Chii cum Rhodiis et Byzantiis accusabant ab Atheniensibus insidias sibi paratas esse (cf. Isocr. argum. or. περὶ εἰρήνης).

Copiae deinde civitatum, quae defecerant, cum Mausoli auxiliis conjunctæ Chium convenerunt; oppidum operibus munitum; portus navibus est firmatus; reliqua omnia parata sunt.

Quibus nuntiatis magnus terror Atheniensium incessit animos; omnibus viribus atque opibus naves instructae ornataeque, copiae comparatae; illis Chabrias, vir prudens ac probus, et peritus rei navalis praeficitur, his Chares, fortitudine atque audacia clarior quam prudentia et constantia. Quibus ducibus, cum Chium venissent, impetum in oppidum facere placuit, constitutumque est, quo tempore Chabrias navibus portum intraret et caperet, ut eodem Chares copias suas in terram expositas contra oppidum produceret. At aliter res cecidit, ac speraverant. Namque Chabrias naves hostium fortissime aggressus, et primus portum ingressus, sed ab hostibus inclusus et a suis, qui non secuti erant, disjunctus quum acerrime in navi sua rostro percussa pugnasset, cecidit, praestare honestam mortem existimans turpi vitae (cf.

Nep. Chabr. c. 4. Diod. XVI. 7.). Chares autem re infecta navibus celeriter conscensus abscessit.

Itaque Athenienses, quos, quamquam non erant victi, irriti incepti et ducis praeclari amissi maxime pigebat, magna sollicitudine commoventur; hostibus animus additur, ut jam sine metu nullo prohibente Aegaeum mare centum navibus obeant, atque Lemnum, Imbrum aliasque insulas et urbes diripiant, deinde multa praeda acta ad Samum obsidendam se conferant. Quae quum ita essent, Athenienses navibus sexaginta, quas jam antea instruxerant, alteras sexaginta addunt, et ei classi Charetem et Iphicratem cum ejus filio Menestheo et Timotheum praeficiunt. Ol. 106. 1. a. Chr. 356, archonte Athenis Elpine vel Elpinice (cf. Diod. XVI. c. 15 et 21; Dionys. Hal. de Lysia jud. p. 480. c. 12.).

Neque tamen duces ad Samum obsidione liberandam proficiscuntur, sed Hellespontum et Byzantium petunt. Quid causae fuerit, cur ita fecerint, facile intelligitur, si reputaverimus, quantum reipublicae Atheniensis interesse necesse fuerit, utrum naves, quae ex Ponto frumentum Athenas comportarent, expedito itinere navigarent, an ab hostibus interciperentur. Id quod quum aliis temporibus dicatur factum esse, tum anno 357 a. Chr. accidisse nobis probatur a Demosthene, qui in oratione adversus Leptinem, quam anno 355 a. Chr. habitam volunt esse (cf. Grote VI. p. 180.) ita dicit (p. 467. 15.): *ἀλλὰ προκέρουσι σιτοδείας παρὰ πᾶσιν ἀνδρώποια γενομένης...*

Magnae igitur curae Atheniensium magistratibus esse debebat, ne commeatu ex illis regionibus intercluso inopia atque caritate rei frumentariae civitas premeretur.

Quare constituti erant magistratus in Hellesponto Ἑλλησποντοφυλάκων, qui appellabantur, ut frumenti subvectioni prospicerent. Atque magno honore affecit Atheniensium populus Philiscum quendam Sestium, qui Callistrato archonte tertio belli socialis anno Ol. 106. 2.; a. Chr. 355. tum, quum Hellesponti oppida maxima ex parte ab Atheniensibus desciverant et Sestus a Cotye, Thracum rege, occupata erat, imperatores Atheniensium de re graviore, sive de hostium adventu, sive de inceptis quibusdam infestis certiores fecisset. Namque, ut est in titulo prope Lysicratis monumentum Athenis reperto et nuper edito atque explicato ab Hermanno Sauppe (cf. Göttinger Nachrichten 1867 No. 9. p. 151. ss.), Athenienses civitate eum donaverunt et duces suos securitati ejus prospicere jusserunt: *Προξενία καὶ εὐεργεσία Φιλίσκῳ Λύκου, αὐτῷ καὶ ἐγγόνοις, Σησιτίοις. Ἐπὶ Καλλιστράτου ἀρχοντος.... Ἐπειδὴ Φιλίσκος ἀνὴρ ἀγαθὸς ἐγένετο περὶ τὸν δῆμον τὸν Ἀθηναίων μηθύσας.... ἐψηφίσθη τῷ δήμῳ πρόξενον εἶναι καὶ εὐεργέτην τοῦ Ἀθηναίων δήμου καὶ αὐτὸν καὶ ἐγγόνους.... κτλ.*

Chii autem, ubi certiores facti sunt, Atheniensium classem in Hellespontum profectam esse, et ipsi eodem Samo omnia navibus avehuntur (cf. Diod. Sic. XVI. c. 21. Aliter rem narrat Corn. Nep. Tim. c. 3.; de iis, quae diverse ea de re traduntur, bene mea quidem sententia agit Georgius Grote: Gesch. Griechenl. VI. p. 181.). Quo quum venissent, quumque in eo esset, ut classibus utrinque instructis proelium navale committerent, ingens coorta est tempesta, quae quominus decernerent armis, impedivit. Iphicrates enim atque Timotheus indignum facinus rati copias et naves

in duplex periculum et proelii et tempestatis vocare, pugnando destiterunt: Chares autem, ut erat homo audax nimisque acer, nequidquam conatus proeliari, litteris conscriptis et extemplo Athenas missis, collegas proditionis accusavit, quippe qui se proelium committentem deseruissent. Quo nuntio domum perlato Athenienses vehementer offenduntur offensique in illos duces Charete auctore rei male gestae conferunt culpam. Nec dubium est, quin eodem ipso anno aut brevi post illa causa Charete et Aristophonte oratore accusantibus sit acta. Testem, si quaerimus, habemus Dionysium Halicarnassensem, qui in «judicio de Lysia» p. 480. c. 12. ita scribit: ἐν γὰρ τῷ συμμαχικῷ πολέμῳ τὴν εἰσαγγελίαν Ἰφικράτης ἠρώμισται καὶ τὰς εὐδύνας ὑπέσχηκε τῆς στρατηγίας, ὡς ἐξ αὐτοῦ τοῦ λόγου γίνεται καταφανές. Quum idem scriptor alio loco (cf. jud. de Dinarcho p. 667. c. 13.) dicat: Τιμόθεος δὲ τὰς εὐδύνας ὑπέσχηκεν ἐπὶ Διοτίμου τοῦ μετὰ Καλλίστρατον. i. e. Ol. 106. 3. a. Chr. 354. aut mirò quodam casu Timothei causam dilatam esse statuemus, aut scriptorem errore ductum illo loco significasse, quò archonte Timotheus mortuus sit, aut locum omnino non integrum esse (cf. George Grote VI. p. 183. s.).

Quae reorum causae varios exitus habuerunt, quamquam accusatio eadem fuit proditionis. Aristophon autem orator proditionis duces insimulavit, non solum quod Charetem deseruissent, sed etiam quod pecunia a Chiis accepta corrupti essent. (De Timotheo loquitur Dinarchus in orat. contra Philoclem § 17 et in orat. contra Demosthenem § 14; de Iphicrate Polyæn. Strat. III. 29.)

Atque Iphicrates quidem causam praeclare dixisse dicitur; et multa postea scite ab eo dicta ferebantur. Aristoteles enim (cf. Rhet. II. 23. p. 99. v. 9. ed. Bekker) scribit, Iphicratem ex Aristophonte accusatore quaesivisse, num classem pecunia corruptus proditurus esset, si posset. Illo deinde negante Iphicratem dixisse: εἴτα σὺ μὲν ἂν Ἀριστοφῶν οὐκ ἂν προδοίης, ἐγὼ δ' ἂν Ἰφικράτης; — Plutarchus vero (cf. imperat. apophthegm. Iphicr. c. IV.) haec narrat: Κρινόμενος δὲ θανάτου, πρὸς τὸν συκοφάντην· Οἷα ποιεῖς, ὦ ἄνθρωπε, εἶπε, πολέμου περιεστῶτος, τὴν πόλιν περὶ ἐμοῦ πείδων βουλευέσθαι, καὶ μὴ μετέμοι; — Polyænus autem Strateg. III. 29. addit, Iphicratem iudicibus metum injecisse, ne amicos suos armatos in iudicium arcesse- ret, et ita effecisse, ut liberaretur. Quod quum quis per vim factum esse ei obje- cisset: εὐήθης ἂν εἶην, inquit, ὑπὲρ Ἀθηναίων μὲν στρατηγῶν, ὑπὲρ ἐμαυτοῦ δὲ πρὸς Ἀθηναίους μηκέτι. Itaque iudices Iphicratem, ejusque filium Menestheum ratione red- dita absolverunt (cf. Isocrat. de permut. 137.). Haudquaquam parem causae suae even- tum Timotheus habuit, qui quamvis justum se et comem facilemque erga socios prae- stitisset, et plurimas utilitates in Atheniensium rempublicam contulisset, ut cives ejus statuum juxta patris Cononis publice ponerent (cf. Isocr. de permut. § 108. 113. 137. 146. Nep. Tim. 2.), tamen multorum Atheniensium stomachum jam pridem ita su- perbia atque insolentia moverat, ut hac occasione oblata Athenienses non meritorum, sed invidiae tantum memores ingentem mulctam constituerent; lis enim aestimata est haud minus centum talentis. Quo facto Timotheus ingrata civitate relicta Chalcidem se contulit, sed haud multo post diem supremum obiit. Itaque pugnam illam nava- lem, qua re infecta discesserant duces Atheniensium, magna clades domestica est

consecuta, ducibus enim peritissimis ac prudentissimis Athenienses se ipsi privaverunt, reis ab imperio remotis, partim mulcta et ignominia affectis.

Superior autem discessit Chares, quem Athenienses tunc solum classi praefererunt. Quo facto Athenis profectus hostes denuo bello petit. Sed quum Athenienses aut non sufficientem haberent pecuniam ad exercitum mercennarium sustentandum, aut nimis parce praeberent, Chares aliam rationem secutus est, qua et exercituum omnibus rebus exstrueret et sumptus reipublicae ad bellum gerendum conferendos minueret. Eo enim tempore Artabazus, Artaxerxis Ochi, Persarum regis, satrapa, desciverat, sed quum cognovisset, non satis se copiis valere adversus satrapas regios, qui septuaginta milia militum eduxisse dicebantur, auxilium petiit a Charete, Atheniensium duce. Qui simul pecunias et gratias sibi comparaturum se esse ratus auxilio ferendo, copias suas Artabazi copiis adjunxit. Proelio paullo post facto satrapas adversarios fudit fugavitque. Neque Artabazus fidem non praestitit, sed Charetem non solum magnificis praemiis affecit, sed etiam pecunias ei suppeditavit, unde exercitum suum aleret et sustentaret atque ita minutis sumptibus subveniret Atheniensibus.

Quo s quidem Demosthenes hanc ob causam valde reprehendit in oratione Philippica I. p. 46. s. haec fere dicens:

Ex quo ipsi mercennarii per sese bella vestra gerunt, amicos vincunt sociosque, hostes autem majores facti sunt, quam fas est, et negligentes civitatis bellum ad Artabazum et quovis potius navibus discedunt imperatore sequente; nec mirum, imperare enim non potest, qui stipendia non solvat. . . . Nam ut nunc fit, ridicula est nostra rerum administratio.

Neque vero Athenienses a Charete bellum alio conversum esse, aegre ferebant; sed quum Persarum rex injurias sibi ab Atheniensibus illatas quereretur et minaretur se trecentas naves Atheniensium hostibus auxilio missurum vel ipsum aggressurum, animis perterritis ac repente mutatis belli finem facere haud prudentiore studio cupiunt, quam quo bellum paullo ante paraverant. Atque facile pacem impetrant adversariis ipsis, quippe qui bello fessi essent, pacem appetentibus.

Itaque Athenienses Eubulo auctore (cf. E. Curtius, Griech. Gesch. III. 470. Oncken, Isocrates und Athen p. 148.) cum iis civitatibus, quae a foedere desciverant et armis libertatem ac securitatem sibi parare studuerant, pacem composuerunt Ol. 106. 2. a. Chr. 355. Callistrato archonte (cf. Diod. XVI. c. 23. H. F. Clinton, Fast. Hell. Tom. II.).

At qualis ea fuit pax! Athenienses enim maximis opibus ac pecuniis ad exercitus comparandos et naves instruendas exornandasque frustra collatis, ducibus praeclarissimis et optime de patria meritis aut amissis aut a republica remotis, coacti sunt Chiorum, Rhodiorum, Coorum, Byzantiorum civitates liberas dimittere, societate, quae ante viginti fere annos facta erat, diremta, suarumque ipsi virium imbecillitatem confiteri. Nec est, quod valde miremur, Athenienses insequenti tempore consilia et artes, quibus Philippus, Macedonum rex, eos circumvenit, forti ac prudenti animo dissipare et irrita facere nec potuisse nec voluisse.

Atque de bello sociali, ad quod Isocratis oratio symmachica spectat, haec hactenus; nunc videamus, quo tempore Isocrates illam scripserit et ediderit. Qua de re quum magna sit inter viros doctos controversia et multa scripta sint, et alienum a proposito existimem latius explicare, quae ea de re statuerint viri docti, atque refutare; delegatis iis, qui plura hac de re persequi cupiunt, ad librum a W. Oncken editum (cf. *Isocrates und Athen.* p. 112. s.) breviter dicam, quid mihi statuendum videatur. Audiamus ipsum oratorem. Qui quidem, postquam dixit se primum verba facturum esse de iis, quae prytanes ad populum retulissent i. e. utrum bellum esset gerendum, an pax concilianda, deinde de ceterarum rerum statu civitatis (cf. § 14. et 15.), censet pacem esse componendam cum Chiis, Rhodiis, Byzantiis atque cum omnibus hominibus. Quibus ex verbis facile perspicitur orationem scriptam esse ante pacem factam, i. e. ante a. 355. Sed tempus accuratius definiendum est. Ac maxima hominum doctorum pars anno 356., Ol. 106. 1. orationem scriptam censet (cf. Clinton; Joh. Godofr. Pfund, de Isocr. vita et script. 1833 Berl. Progr. p. 21. cet.), alii aliter (cf. W. Oncken l. c.). At si consideraverimus, Isocratem in principio orationis § 2. sic dicere: ἤχομεν γὰρ ἐκκλησιασσοῦντες περὶ πολέμου καὶ εἰρήνης et § 25. ὅπως ἄξομεν αὐτήν (εἰρήνην) . . . μὴ ἀναβολήν, ἀλλ' ἀπαλλαγὴν εὐρήσομεν τῶν κακῶν τῶν παρόντων et § 64. αὕτη (ἡ ἀρχή) γὰρ ἐστὶν ἣ καὶ νῦν εἰς ταραχὴν ἡμῶν κασιγασσά, unde apertum et perspicuum videtur esse Atheniensium populum bellum nondum decrevisse; tum si reputaverimus oratorem minima ex parte agere de pace, maximam autem partem, quibus de causis Atheniensium civitas in odium atque invidiam Graecorum venerit, imprimis de imperandi cupiditate et imperio maritimo; deinde si perspexerimus, rerum memorabilium, quae quidem illo bello gestae sint, vix ullam commemorari significarive, nec Chium infeliciter oppugnatam, nec Chabriae mortem, nec classes instructas, nec exercitus collectos, nec imperatores creatos, nec Iphicratis mentionem fieri, ducis fortissimi ac peritissimi, ne Timothei quidem, cui summa cum Isocrate intercedebat familiaritas, nec Charetis ejusque rerum temere gestarum; haec si reputaverimus: vix poterimus assentiri iis, qui putant orationem scriptam esse tunc ipsum, quum de bello finiendo et pace componenda ageretur a. 355 vel paullo ante a. 356, sed statuemus Isocratem orationem scripsisse, vel scriptam voluisse, quum primum nuntiatum sit, Chios, Rhodios aliosque socios a foedere descivisse, Atheniensium superbiam et Charetis violentiam aegre ferentes, eosque bellum parare, i. e. initio anni 357., Ol. 105. 4. (cf. Oncken l. c. 126. und 150.)

Quales res atque sententias Isocratis oratio, quae inscribitur περὶ εἰρήνης, contineat, explicatur.

A. Exordium.

1) Omnes, qui ad dicendum exsurgunt, eo solent uti exordio, ut contendant rem, de qua dicturi sint, gravissimam esse dignissimamque civium studio. § 1. Praeter ceteros autem me decet hoc tempore inde orationis meae initium ducere. Namque de rebus gravissimis deliberaturi ad concionem convenimus; agitur de pace ac bello. § 2.

2) Neque tamen ex aequo deliberationem instituitis, sed iis tantum oratoribus praebetis aures attentas, qui studiis voluntatibusque vestris obtemperant, ceteros autem audire non vultis. § 3—4.

3) Unde fit, ut oratores non utilitati et saluti reipublicae consulant, sed vobis tantum placere studeant, et hoc ipso tempore ad bellum suscipiendum vos incitent ostendentes spem vanam. Ac nimis quidam bellum flagitant, quasi a diis accepissent res nostras fore prosperas. § 5—8.

4) Neque vero vos prudenter agitis, quum istorum oratorum consiliis pareatis, adversariorum nolitis audire consilia nec sequi. Attamen vos quaerentes, quid prosit reipublicae, decebat eos potius audire, qui voluntatibus vestris adversantur, quam qui assentantur, quum ab his facile possitis decipi, ab illis non item. Neque eorum opera, qui pacem retinendam esse censebant, vos unquam malis affecti estis, per eos autem, qui bella temere suscipiebant, in maximas calamitates incurristis. Quarum rerum plane immemores inconsiderate bellum paramus et temere rempublicam in discrimen vocamus. § 9—12.

5) Cuius rei causa est, quod aliter sentimus de rebus publicis, aliter de rebus privatis; in privatis enim prudentissimorum hominum utimini consiliis, in publicis ad consilia adhibetis pravissimos. Ecqua igitur reliqua est spes, civitatem istorum hominum consiliis utentem ad meliorem statum emersuram esse? — § 13.

6) At quamvis haud ignorem asperam esse opinionibus et studiis vestris adversari, nec licere in multitudinis dominatione libere dicere, nisi impudentissimis oratoribus, et iis, qui minime rebus vestris consulunt, et comoediarum scriptoribus; tamen a re proposita non desistam, sed quum huc non accesserim, ut favorem vestrum captem, vel ut suffragia aucuper, quid e republica esse censeam, libere dicam. — § 15.

B. Propositio, quae duabus absolvitur partibus:

- I. *prima, quae orator censet esse pacem faciendam et retinendam;*
- II. *altera, quae de universo reipublicae statu disputatur.*

I. Censeo igitur pacem esse faciendam non solum cum Chiis, Rhodiis, Byzantiis, sed etiam cum omnibus hominibus atque servanda foedera cum rege Persarum et Lacedaemoniis, iis quidem conditionibus facta, ut liberi essent Graeci, ut praesidia ex alienis civitatibus deducerentur, et sua quaeque civitas obtineret. Quibus conditionibus nec justiores nec civitati nostrae utiliores invenimus. At si quis dixerit, isto modo minui a me civitatem, vos oratione mea attente audita, insaniae atque dementiae, ut ego opinor, condemnabitis eos, qui injustitiam lucrum existimant, qui per vim alienas urbes tenent, qui non reputant, quanta talia facta consequantur calamitates. Quibus de rebus tota oratione mea disseram. — § 17.

1) Primum autem de pace si agitur, quaestio existit, quaenam in praesentia maxime nobis exoptemus. Scilicet ut in civitate bene constituta vivamus, ut iis rebus, quae ad victum pertinent, augeamur, ut inter nos consentiamus, ut apud Graecos gloria floreamus. Quibus rebus praeclaris bellum nos privavit, nam pau-

periores nos reddidit, in multa pericula adduxit, in Graecorum odium atque invidiam vocavit omnibusque malis nos affecit.

2) At pace facta si tales nos praestiterimus, quales foedera nos jubent esse, quot quantaque commoda nobis comparantur! In summa securitate rempublicam administrabimus, liberati bellis, periculis, perturbatione, in qua nunc versamur: iis, quae ad vitam quotidianam pertinent, augebimur, levati tributis aliisque muneribus publicis, secure agros colentes, mare navigantes ceterisque negotiis, quae nunc propter bellum neglecta jacent, operam navantes. — § 20.

Pace facta urbis reditus duplicatos videbimus: frequentes mercatores peregrini, frequentes inquilini commorabuntur in civitate, quae illis nunc caret. Maximum autem est, quod socios habebimus omnes homines, non vi coactos, sed sua ipsorum voluntate adductos, non qui in rebus prosperis propter potentiam et copias nos ferant, in periculis autem nos deserant, sed eo animo praeditos, quo decet esse socios et amicos veros. Praeterea, quae nunc bello aut magna pecunia assequi non possumus, tum per legatos facile impetrabimus. Nec Cersobleptes, Cotyis, Thraciae regis, filius, propter Chersonesum a nobis tentatam, nec Philippus propter Amphipolim bellum movebunt, si perspexerint, nos alienarum possessionum non esse cupidos.

Nunc autem non injuria verentur civitatem nostram vicinam suis dominationibus habere, quum videant nos rebus nostris non contentos semper majora concupiscere. — § 22.

Quibus moribus mutatis quum ab aliis melius audire coeperimus, non solum nostris finibus abstinebunt, sed multa alia nos capiemus commoda. Atque qui Graecorum principes esse volunt, eos bene factorum potissimum auctores decet esse, non bellorum nec perturbationum. — § 24.

Nec vero decernendam tantum censeo pacem esse, sed etiam servandam retinendamque atque deliberandum, qua maxime ratione non dilationem malorum praesentium, sed liberationem assequamur. Quod ut nobis contingat, persuasum habeamus oportet, praestare quiete et tranquillitate uti, quam multa moliri, justum se praebere quam injustum, sua curare quam aliena concupiscere. His autem in rebus positam esse existimo felicitatem, non in iis rebus, quibus nunc studemus. — § 26.

Iam vero volentem me, omissa solita ratione concionandi ad meliores vos opiniones adducere, multas res attingere necesse est et pluribus verbis uti monentem, accusantem, laudantem, suadentem. Difficile enim est vel omnibus his rebus recte perfectis ad majorem prudentiam vos revocare. — § 28.

II. *De universo reipublicae statu agitur.* 1) *Ac primum quidem explicatur, quam misera et tristis sit reipublicae conditio,* — § 56.; 2) *deinde quae quis contra dicat, refelluntur,* — § 62.; 3) *tum quaeritur, qua ratione melior rerum status efficiatur,* — § 115.

1) Omnes homines meo quidem judicio quaerunt, quid sibi maxime expediat, et quomodo plus ceteris habeant, sed opinionibus diversis ducuntur et diversas sequuntur vias, alii prudenter rerum delectum habent, alii in maximo errore versantur.

Atque haec quidem est civitatis nostrae conditio. Nos enim, si multis triremibus mare navigemus et civitates cogamus tributa pendere et assessores vel legatos

huc mittere, nobis videmur justa peregrisse. At quosnam illa habuerunt eventus? inimicitiae inde nobis ortae et bella et magni sumptus. Nam justitiam ac moderationem abstinentiamque non colimus, sed negligimus. Quin etiam tanta quorundam est perversitas mentis, ut turpem quidem statuunt esse injustitiam, sed utilem, justitiam autem honestam, sed nihil emolumentum afferentem atque aliis utiliore quam ei, qui illa antecellat. Nec sentiunt nulla alia re majora aut plura commoda ac bona comparari quam virtute. Quae enim bona in animis nostris infixata habemus, iis etiam reliquas utilitates, quibus opus est, obtemperamus. Injustos vero et alienarum rerum appetentes bestiis similes esse video, quae esca capiuntur, et initio quidem ea re, quam adeptae sint, delectari, sed paullo post in summis malis versari, eos autem, qui pie ac juste vivunt, in praesentia securitate frui et de reliquo tempore melius sperare.

Utinam vero aequae facile esset, auditores ad virtutem colendam adducere, ac laudibus eam efferre! Sed metuo, ne frustra haec dixerim.

Iam enim per longum tempus corrupti sumus ab hominibus nihil magis agentibus, quam ut artificiosis consiliisque callidis nos circumveniant, et quovis velint, nos impellant. Adeo tamen populum contemnunt, ut si pecunia accepta cuilibet bellum movere student, imitandos esse majores audeant dicere nec committendum, ut ludibrio aliis simus, aut ut in mare navigent, qui tributa nobis pendere nolint. — § 36.

At quorum, quaeso, ex illis, qui olim fuerunt, similes nos jubent esse? Utrum eorum, qui circa bella Persica fuerunt, an eorum, qui ante bellum Decelesense civitatem gubernaverunt? Si hos imitari jubent, nihil aliud praecipiant, nisi ut denuo libertatem ac salutem nostram in periculum discrimenque adducamus; sin autem illos, qui proelio Marathonio barbaros vicerunt, et qui jam ante eos fuerunt, quid? nonne impudentissimi sunt, si quidem illis majoribus laudatis, contrariam rationem ut ineamus, persuadere nobis student impelluntque ad suscipienda facinorosa mala? — § 38.

Iam vero quae male feceritis, et quantum vos a majoribus differatis et moribus et factis, quamvis metuendum mihi sit, ne vos offendam, libere tamen dicam: turpe enim iudico meae potius existimationi consulere, quam salutem reipublicae. Gloriamur autem nos rebus a majoribus praeclare gestis et celebrandam propterea censemur esse civitatem nostram; sed iidem contraria illis facimus — § 41.

Illi quidem pro Graecis contra barbaros bella gerere non destiterunt, nos barbarorum auxilio utimur ad opprimendas civitates graecas; illi pro ceterorum salute patriam suam reliquerunt et terra marique barbaros vicerunt, nos ne pro nostris quidem rebus augendis pericula suscipimus; volumus quidem omnibus imperare, ipsi in bellum exire nolumus. Omnes fere homines bello vexamus, rei militaris exercitationi operam non damus, sed hominibus exsulibus, fugitivis, plane abjectis ad bella gerenda utimur, nec indignamur istorum maleficiis, crudelitibus rapinisque. Majores nostri magna pecunia in arce suppeditante suis corporibus pericula suscipiebant, nos quamvis ad summam inopiam redacti simus, et civium adsit magnus numerus, Persarum tamen regem imitamur mercenariorum opera utentes iisque bella nostra armis decernenda permittimus. — § 48.

At dicat quispiam, quamvis externas res male geramus, domesticas tamen bene administrari. Immo vero pravissime. Quum enim gloriemur nobilissimos nos Graecorum esse, et autochthones vel indigenas, tamen facilius cum quovis nobilitatem nostram communicamus, quam Triballi vel Lucani gentis ignobilitatem. Leges autem plurimas ferimus, sed ita negligimus, ut quamvis morte multari eum, qui ambitus sit convictus, leges jubeant, eos qui palam ea in re deliquerunt, praetores eligamus, et ei, qui plurimos civium corrupti, res maximas committamus. — § 50.

Et quum cognoverimus rebus tranquillis et pacatis [popularem civitatis statum] augeri, turbatis autem bello jam bis esse sublatum, tamen pacis studiosis tamquam dominationis paucorum cupidis irati sumus, eos autem, qui bella movent, benevolos judicamus esse tamquam rei popularis fautores. Vani profecto ac leves et inconstantes sumus, et quamvis prudentissimos nos esse profiteamur, inconsiderate tamen malorum utimur consiliis et rempublicam iis committimus, quibus nemo quidquam rerum suarum commiserit et ab improbissimis fidelissime custodiri civitatem existimamus. — § 56.

2) *Contra dicta refelluntur.* — At eorum, ad quos, quae dixi, pertinent, aliquis aegre ferens quaerat: Quid? Qui fit, ut cum tam male rebus nostris consulamus, tamen incolumitate fruamur et consecuti simus opes, quibus nulla civitas habeat majores? Cui opponam ejus rei causam esse, quod ceteri populi in errores ac demeritas haud quaquam minores nostris incurrerunt. Nam si Thebani, postquam Lacedaemonios proelio — Leuctrico — vicerunt, Peloponnesiis ceterisque Graecis liberatis, in otio ac pace vivere voluissent, nos autem haec talia deliquissemus, ista quaestio nobis non exstisset, et cognovissemus moderationem ac prudentiam longe praestare animo multas res molienti. Nunc autem ita res sese habent, ut Thebani nos, nos Thebanos servemus et socios alteri alteris paremus importunitate atque insolentia. Oportet autem vel mediocriter prudentes non ex aliorum peccatis sperare salutem suam, sed ex suis factis et consiliis: illa enim facile mutantur, haec constantius nobis manent. Atque eos quidem, qui inconsiderate contra dicunt, haud difficile est refellere; sed si quis prudentiorum illa quidem vere dicta a me, et vitia merito reprehensa esse concedat, sed aequum censeat non reprehendere tantum facinora, sed etiam demonstrare, qua ratione a vitiis avocemur et ad animi sanitatem adducamur, dubitatio mihi affertur, quid respondeam, utrum ad veritatem et salutem non accommodate loquar, sed vobis placere studeam, nec ne. Veruntamen libere, quem ad modum institui, pergam vobis dicere, quae de illis rebus sentiam. — § 62.

3) *Sequitur locus gravissimus, quo docetur, qua ratione melior rerum status efficiatur.* Orator censet, abstinendum esse maris imperio, quippe quod nec justum sit, nec facile parari possit, nec sit utile. — § 115.

Quibus virtutibus ad vitam beatam opus sit, jam supra demonstravi; pietatem dixi, temperantiam, justitiam, alia. Sed qua ratione celerrime illas virtutes consequamur, vere quidem a me dicetur, fortasse autem vobis audientibus oratio mea gravis videbitur et nimis a ceterorum sententiis abhorrens.

Ego enim censeo, melius nos rempublicam administraturos et ipsos meliores futuros et omnibus rebus auctum iri, si desiverimus maris imperium appetere. Vobis autem omnibus probaturum me puto, imperium istud nec justum esse, nec facile parari, nec prodesse.

Ac primum quidem illud injustum esse, a vobis doctus, ostendere vobis queo. Nam quum Lacedaemonii illud tenerent imperium, omnibus modis studuimus contra eos dicere et agere, aequum censes Graecorum civitates suis quasque legibus atque institutis uti. Omnes autem civitates florentes ad belli societatem convocavimus, permultis missis legationibus Persarum regi ostendimus nec justum esse nec utile unam civitatem totius Graeciae imperium tenere. Nec destitimus terra marique pugnare periculaque subire, priusquam Lacedaemonii civitatibus libertatem foederibus firmatam reddidissent.

Deinde illud imperium obtinere nos non posse contendo. Nam quod maxima pecunia conservare non potuimus, qui possit fieri, ut idem in tanta omnium rerum inopia nobis paremus, praesertim quum praediti simus moribus non iis, quibus illud imperium paravimus, sed quibus amisimus. — § 69.

Tum ne utile quidem illud imperium est.

Quod priusquam vos doceam, praefari pauca lubet, ne videar id potissimum agere, ut civitatem accusem. Neque vero apud alios dico calumniandi causa, sed apud vos nihil aliud respiciens, quam ut vos arceam ab iis, quae dixi, facinoribus, et ut vos reliquosque Graecos impellam ad pacem fideliter agendam. Oratio mea non est accusatoris maligni, sed adhortatoris benigni. Atque illum decet odisse, laudare vero hunc, quum impellat maxime vos ad fugiendas contemnendasque res malas, bonas autem appetendas. Sed de asperitate orationis meae haec hactenus; jam ad propositum revertar. — § 73.

Illud autem imperium maris non utile esse, rectissime intelligetis, si consideraveritis, qualis civitatis nostrae status fuerit ante illas opes partas, et qualis fuerit illis partis. Quibus rebus consideratis et comparatis inter se facile intelligetur, quanta inde mala reipublicae nostrae orta sint.

Etenim illa civitatis forma tanto melior ac praestantior fuit quam posterior, quanto praestiterunt virtutibus Miltiades et Themistocles Hyperbolo et Cleophonti. Populus autem tunc non is fuit, qui inertiae ignaviaeque aut spei vanae se daret, sed is, qui virtutibus praeditus hostes proeliis vinceret, cui tanta esset fides, ut maxima civitatum pars ultro ei sese committeret. — § 76.

Iam videamus, quid effecerit istud imperium maris. Gloriosa reipublicae gubernatio turpi intemperantiae cessit, cives a pravis oratoribus male instituti, ignavi ac segnes facti, benevolentia sociorum amissa et laude, qua majores apud ceteros Graecos florebant, extincta, in tantam invidiam adduxerunt civitatem, ut in excidii periculo versaretur. Nec mirum, priores socios nostros, quum a patribus nostris multis et magnis injuriis affecti essent, majore in nos ira accensos fuisse, quam Lacedaemonios, qui a principio adversarii nobis exstiterant.

Verum si res illis temporibus a patribus male gestas percensere coner, verendum sit, ne vos beneficiis affecturus, de memet ipso male merear. Neque tamen a proposito desistam, sed omissis iis, quae acerbissima vobis et molestissima esse possint, ea tantum commemorabo, quae faciant, ut quam imprudenter, qui tunc civitati praefuerunt, res gesserint et administraverint, cognoscatis. — § 81.

Qui quidem ea potissimum fecerunt, ob quae homines maxime odia sibi conflare possint. Namque primum decreverunt, ut quae superesset e tributis pecunia, digesta in singula talenta Dionysiorum diebus festis in orchestram, theatro hominum frequentia repleto, inferretur, itemque liberos hominum in bello caesorum introducebant, quae facientes sociis admirationem divitiarum cum invidia movebant, ceteris autem Graecis pupillorum multitudine demonstrabant calamitates ex ista imperandi cupiditate ortas.

Praeterea ita negligentes suarum rerum facti sunt tamque cupidi alienarum, ut quamvis a Lacedaemoniis Atheniensium terra in ipsorum conspectu vastaretur et popularetur, tamen triremibus impletis et in Siciliam missis Italiae et Siciliae atque Carthaginis imperium sese esse assecuturos sperarent. — § 84.

Nec vero cladibus aliisque malis edocti sunt. In Aegypto ducentae naves cum ipsis hominibus, ad insulam Cyprum centum quinquaginta amissae sunt, in Ponto decem milia armatorum et civium et sociorum interierunt; in Sicilia autem quadraginta milia hominum et naves quadraginta et ducentae; denique in Hellesponto ducentae perierunt. Minores autem clades ac detrimenta vix enumerari possunt. Quibus rebus factum est, ut sepulera publica civibus, tabulae autem publicae peregrinis implerentur, et ut celeberrimorum virorum gentibus familiisque amplissimis extinctis nunc paene permutati videamur esse. — § 88.

At si praedicanda est civitas, in qua vetustae civium bene meritorum familiae vigent, si imitandi sunt viri, qui quamvis summa laude digni sint, tamen honoribus a populo ad eos delatis contenti sunt; maxime profecto praedicandi ac laudandi sunt ii, qui circa bella Persica vixerunt; qui non affluentes opibus nec egentes, in aequitate autem publica et in singulorum virtutibus summam laudem ponentes ceteris jucundiores vitam degebant. — § 90.

Qui autem post illos fuerunt, non principatum, sed tyrannidem assequi studuerunt, quae res longissime inter se distant. Nec potuit fieri, quin illi calamitatibus afficerentur, quae tyrannis oriri solent. Atque haec eadem nostrae civitati nunc accidunt. Nam vim aliis civitatibus afferentes, ipsi multis malis vexamur; quare nemo, nisi qui plane vecors est, optare et appetere potest imperium tot tantaque mala importans; sed vitam mediocrem cum aequitate, quam magnas opes cum injustitia praestantiores iudicabit. — § 94.

Nec vero nostrae solum reipublicae magna illud imperium maritimum attulit mala, sed etiam Lacedaemoniorum civitatem ita perdidit, ut quum illa intra septingentos annos nec periculis nec cladibus immutari potuisset, intra exiguum temporis spatium maxime perturbaretur et paene funditus everteretur. — Antiquis enim institutis neglectis aut sublatis homines privatos injustitia, levitas, iniquitas, avaritia; civitatem autem ipsam contemptio sociorum, appetitio rerum alienarum, negligentia jurisju-

randi foederumque invasit, ac tanta cupiditas bellandi, ut ne a sociis quidem absterent, nec ab iis, a quibus beneficiis affecti essent; in quorum numero sunt Chii Thebani, Persarum rex. Praeterea omnes insulas atque Peloponnesi civitates vastatione, tumultu, bello impleverunt. Inde orta sunt Lacedaemoniis odia atque invidiae omnium sociorum, inde clades Leuctrica, inde omnia mala. — § 101.

Ista maritima dominatione perniciosa factum est, ut etiam principatum terrestrem amitterent. Quid autem? Si tam tristes habet exitus illud imperium maris, si tanta mala attulit non solum nobis, sed etiam Lacedaemoniis, nonne maxime spernendum fugiendumque est? — § 105.

Quae quum ita sint, nonne jure mirandum est, quod omnes superiore tempore fugit, quot et quanta mala illud imperium afferret? At quis nescit plerosque homines in eligendis rebus facillime errare, et ad prava magis deflectere quam ad bona, et inimicis eos melius consulere quam sibi ipsis. Quae quidem sic sese habere non solum in publicis gravissimisque rebus cernitur, sed etiam in vita quotidiana. — § 110.

C. Peroratio.

Sed vos nolite jam temerariis consiliis uti, videte, quidnam variorum eventuum exempla nos doceant et moneant. Quibus edocti superbiam et intemperantiam fugitis, temperantiae et modestiae studebitis non solum in rebus privatis, sed multo magis in publicis. Praeterea nolite animum attendere ad oratores malos, sed removete et repellite eos tamquam reipublicae pestem. — § 131.

Ante omnia autem haec sunt tenenda, primum ut optimos eligamus, qui praesint reipublicae, deinde ut aequitate ac justitia utamur erga socios, tum ut studeamus gloriae virtutis apud Graecos. — § 136.

Quae si sequemur, multorum auctores erimus bonorum et nostrae civitati et universis Graecis. Namque conservatores erimus ceterorum, et arcetes alios ab injuriis inferendis et in fidem accipientes afflictos. Unde efficietur, ut illae civitates ultro ad nos deferant principatum et se ipsas nobis tradant, quum videant et velle nos servare se et posse. Postremo respublica nostra augebitur divitiis, opibus, gloria. — § 141.

Summum autem et maximum et quasi caput orationis meae hoc est: Exstinguamus invidias, in quibus nunc versamur, absterneamus a bellis, quae temere suscipiuntur, operam demus principatui, qui maneat in omne tempus, fugiamus dominationes et imperia tyrannica; faciamus, ut Graeci opibus nostris salutem sibi paratam esse existiment, non servitatem. — § 144.

Ego vero admoneo atque exhortor juvenes et eos, qui aetate integra viribusque florent, ut ad dicenda ea et scribenda se convertant, quibus potissimum civitates adducantur ad virtutem atque justitiam. — § 145.